



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XL. De modo cognitionis Angelicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



extra ac supra sphaeram, cognitionis naturalis, quae naturam Angelorum sequitur, eique commensuratur.

28. Posteriora vero, quae sunt tantum quoad modum supernaturalia non consentent à Theologis communiter excedere vim naturalem cognitionis Angelicæ. Quia sunt simpliciter intra limites ordinis naturalis secundum se, vel secundum aliquid simile specificè, aut quasi specificè. Ideoque si aliunde nihil obstat, non est cur subtrahantur cognitioni Angelorum. Atque ita norunt Angeli naturaliter Christi Domini humanitatem carere propria substantia: & accidentia Eucharistica privari inhærentia: & Christum esse sub speciebus modo spiritali, non est, indivisibili, qui modus nihil aliud est, quam Christus ipse replicatus in modum spiritus, non minus de se cognoscibilis, quam spiritus replicatus in spatio divisibili. Quae replicatio licet Angelo sit naturalis, non corporis non obstat, quin sit in utroque cognoscibilis, quantum est de se. Quemadmodum licet penetratio corporum non sit naturalis, ut est penetratio Jurium formarum substantialium vel accidentalium: utraq; tamen est de se cognoscibilis aequaliter. Connaturalitas enim vni & non alteri, non insauit, neque auget cognoscibilitatem, cum Alioqui res eadem vel similis sit. Ut ex opposito, licet gratia & gloria esse alicui creaturæ connaturalis, non propterea magis ab Angelo cognosci possit in tali creatura, quam in aliis, quibus est supernaturalis. Connaturalitas enim illa non faceret, ut esset Angelo naturaliter cognoscibilis, cum alioqui secundum se sit entitativè supernaturalis.

29. Dices: si demones cognoscebant naturaliter humanitatem Christi privatam esse propria substantia: quomodo statim ab

initio non inde cognouerunt, tanquam ex certo indicio terminari diuina? Respondeo primo esse forte possibile substantiam creatam privari propria substantia, neq; tamen terminari aliâ: quod multi putant esse verisimile. Quod si non possit, tamen id ipsum potest latere Angelum: quia non cognoscit quicquid Deus potest supernaturaliter, aut quicquid non implicat in ordine ad absolutam eius potentiam. Poterat etiam Dæmon suspicari mysterium, & presumere impediri à Deo cognitionem substantiæ creatæ & naturalis. Ac denique licet dæmonis potuisse presumere hypostaticam unionem diuinam; at non ideo certo nosse, multoque minus germanè: de qua notitia nunc loquimur.

100. Instabis, quia modus hypostaticæ unionis, non est quid supernaturale in substantia, magis quam existentia indivisibilis corporis Christi in Eucharistia. Ergo poterat à Dæmone cognosci. Respondeo negando antecedens. Nam unio illa inuoluit hypostaticam Verbi diuini, & ex parte identificat eum illa. Vnde saltem eatenus est supernaturalis in substantia, & superat omnem vim causarum naturalium, sive in seipsa, sive in simili specificè, aut quasi specificè. Infinitè enim distat ab unionibus, aut modis subsistendi quorumuis eandem ordinis naturalis. At præsentia Christi indivisibilis nihil aliud est: quam ipsa met entitas naturalis corporis Christi replicati indivisibiliter, ita, ut sit totum in toto spatio, & totum in qualibet eius parte. Quæ præsentia similis est indivisibili præsentia Angeli, excepta penetratione partium eiusdem corporis, quæ non est aliud in substantia, quam ipse partes corporis, & quoad modum illum se habent si non differunt per penetrationem plurium formarum materialium, naturaliter possunt, & ab Angelis cognoscibili.

Satis fit obiectio.

100. Vniq; hypostatica non videtur dæmonibus.

# DISPUTATIO

## QUADRAGESIMA.

### De modo cognitionis Angelicæ.

Sect. I. An intellectus Angeli sit quandoque in potentia, quandoque in actu intelligendi: aut contra, necessario semper intelligat?

Sect. II. An Angelus possit multa ut multa intelligere?

Sectio III. An Angeli discurrant intelligendo?

Sectio IV. De reliquis ad modum cognitionis Angelicæ pertinentibus.





E modo cognitionis angelicæ disputat S. Thomas qu. 58. & art. 1. docet Angelos non semper actu cogitare de iis omnibus quæ possunt naturaliter cognoscere: semper tamen habere illorum scientiam habitualem, & potentiam sciendi completam per species intelligibiles. Esse quoque in pura potentia ad multa supernaturalia per seclationem cognoscenda. Sed ad cognitionem Verbi, & eorum quæ in Verbo vident, id est, in diuina essentia, nunquam esse Beatos Angelos in potentia quoad habitum, vel quoad actum: quia semper actu apprehendunt Verbum, & ea quæ in Verbo vident. In hac enim visione eorum beatitudo consistit. 2. Angelos posse simul & vna cognitione intelligere naturaliter illa omnia quæ vna specie cognoscuntur: non autem ea quæ diuersa. Quia quæcumque per vnam speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur vt vnum intelligibile. Quæ verò per diuersas species intelligibiles cognoscuntur, vt diuersa intelligibilia capiuntur. Sicut autem ad vnitatem motus requiritur vnitatem termini: ita ad vnitatem operationis requiritur vnitatem obiecti. 3. Angelos non cognoscere per discursum: quia statim in illis quæ primò naturaliter cognoscunt, inspicunt omnia quæcumque in eis cognosci possunt, ob præstantiam intellectus sui, & plenitudinem luminis intellectus sui. 4. Similiter Angelos non intelligere componendo & diuidendo inter prædicatum & subiectum: quia statim in apprehensione quidditatis subiecti, habet notitiam de omnibus, quæ possunt attribui subiecto, vel ab eo remoueri. Habere enim lumen intellectuale perfectum, vt ait Dionys. cap. 4. de diuinitatibus nominibus. 5. Non posse esse per se falsitatem, aut deceptionem in intellectu alicuius Angeli: hoc est, in cognitione propria & quidditativa, quam de rebus naturaliter habet: quia intelligit res per quod quid est: intellectus autem circa quod quid est, semper verus est, sicut & sensus circa proprium obiectum vt dicitur in 3. de anima textu 26. Per accidens tamen potest esse falsitatem in intellectu Angeli, id est, in cognitione earum rerum, quas non cognoscit per quod quid est rei: sed per coniecturam: Cuiusmodi sunt quæ excedunt naturalem ipsius cognitionem, & vel à sola Dei ordinatione dependunt, vt mysteria gratiæ, vel à libera voluntate creaturarum, vt futura contingentia, & cogitationes cordium: de quibus non possunt iudicare secundum naturalem conditionem, errare possunt, & decipi: sed hoc non contingit bonis Angelis, secus autem malis, ob peruersitatem voluntatis. 6. Distinguendam esse in Angelis, iuxta doctrinam D. Augustini, cognitionem matutinam, quæ res cognoscunt in primâ causâ; & vespertinam, quæ cognoscunt res eadem prout sunt in seipsis. 7. Cognitionem vespertinam, quæ cognoscunt Angelices in propria natura, differre realiter secundum vnam acceptionem à cognitione naturalis secundum aliam, verò non differre realiter, sed ratione tantum, vel extrinsecè ex parte obiectorum. Si enim dicatur cognitio vespertina secundum quod cognoscunt esse rerum quod habent in propria natura, videndo verbum, sic vna & eadem secundum essentiam est cognitio vespertina & matutina, differens solum secundum cognita. Si verò cognitio

MARTIN  
 NEUS  
 IN J. M. PAI  
 D. VI  
 U.



vespertina dicatur secundum quod Angeli cognoscunt esse rerum quod habent in propria natura per formas innatas, id est, per species intelligibiles; sic est alia cognitio vespertina, & matutina. Et ita intelligere videtur Augustinus, cum vnam ponat imperfectam respectu alterius. Hec D. Thomas, quae sequentibus sectionibus fusiùs exponentur.

SECTIO I.

An intellectus Angeli sit quandoque in potentia, quandoque in actu intelligendi: aut e contrario, necessario semper intelligat?

Angelus non semper intelligit quicquid potest successive vel simul intelligere.

**D**ICO primo, non semper Angelum versari, neque posse naturaliter versari in omni actu intelligendi, quem successive habere potest. Patet, quia est apax infinitorum actuum, quos successive exercere potest, & sine fine per aeternitatem exercebit. At non potest simul exercere infinitos, cum virtus finita sit. Hinc colligitur Angelum semper esse in potentia ad infinitos, quos successive habendos, & ad infinita objecta, quae simul omnia non potest distinguere, & secundum proprias rationes attingere.

Dico secundò, ne quidem semper versari Angelum in omni actu intelligendi, quem simul exercere potest, vel attendere distinctè aut confusè ad tot objecta, in quibus potest simul intendere. Cum enim vna ex parte non debeat, neque possit simul omnia perfecte cognoscere, ut Deus; aliunde verò experiamur ipsi posse nos, si velimus, non cognoscere quicquid simul possunt; & frequenter paucioribus attendere: Angeli certe nihil minus sunt liberi; & in aliis actibus vel objectis, ut in motu locali, vel loco ipso, & in applicatione agentium corporum aut spiritualium, exercent similem libertatem, non operando semper quoad possunt secundum vltimum potentiae conatum, siue intensum, siue extensum.

Dices est disparitatem quoad intellectiōnem: quia nos fatigamur, & molestiam patimur ex contentione ad plura, propter dispositionem organorum, quae laeduntur. Angeli autem non patiuntur hoc incommodum. Aliunde verò cum voluntas nequeat velle aliquid, nisi sub ratione boni, & in restrictione conceptus Angelici nulla boni ratio appareat; non poterit eam velle Angelus: esto, velimus nos, quia minus molestam.

Respondèo non esse quidem fatigationem in Angelis ex contentione, etiam summa, ut probat obiectio: At eos posse eligere, propter solum exercitium libertatis, carentiam alicuius boni, aut bonum aliquod minus: v. g. vbi adaequato minus, morum

adivum aut passivum minus celerem, abilitentiam ab opere supererogationis. Sicut elegerunt primum peccatum, ante quod prius natura vel tempore, non ita desipuerant, ut in eo honestatem, voluptatem, aut utilitatem maiorem esse iudicarent, quam in opposito. Sufficit autem ad eligendum minus bonum, etiam cognitum velle, voluptas quae percipitur ex usu libertatis, vel ipsa ratio boni licet minor, ut supponit tract. de actibus humanis.

Dico tertio, posse naturaliter Angelum carere quavis cognitione distributiue, non tamen omni collectiue. Prima pars est D. Thomae q. 58. art. 1. c. ubi sic ait: Intellectus Angeli potest esse in potentia ad ea quae cognoscit naturali cognitione: non enim omnia, quae naturali cognitione cognoscit, semper actu considerat. Ibidemque eam ponit differentiam inter cognitiones naturales, & cognitiones supernaturales: in Verbo, id est, visionem beatificam: quod ab hac non potest Angelus cessare: secus ab aliis. Idemque docent plures Thomistae ad art. cit. & Molin. q. 56. art. 1. disp. 2. conclus. 2. Vasq. disp. 219. c. 3. Ratio est quia non minus in eo apparet esse libertatis in Angelis, quam in nobis. Nos autem experimur nullam esse cogitationem, quam in aliam non mutemus, si velimus, quamvis nunquam possimus abicere. Addo quemadmodum nullum obiectum est distributiue, à cuius intellectiōne non abstinemus libere, si volumus (praeter nos ipsos non esse saltem cognitos ut attendentes per actum intellectiōnis) quisquis enim intelligit, simul intelligit aliquo modo se intelligere, posteaque recordatur se intellexisse per ipsam ex tali actu relictam) sic Angelus potest naturaliter cessare libere à cognitione cuiuslibet obiecti distributiue sumpti, excepto quod semper intelligit reflexè, saltem virtualiter, se intelligere.

Secunda pars, quod scilicet Angelus non possit carere omni cognitione collectiue, est Suarez lib. 2. cap. 35. num. 5. & 6. Bonasi tract. 3. cap. 1. q. 7. num. 6. & aliorum plurimum. Probat autem, quia quod Angelus cessare possit à quavis cognitione seorsim, seu distributiue, oritur ex limitatione finitae virtutis intelligenti, quae non potest simul attendere ad omnia obiecta: & ex libertate, per quam potest vni attendere, non aliis; & ab istis ad alia, atque ab vna cogitatione ad aliam transire. At qui non potest libere auertere ab omnibus obiectis collectiue, &

Angelus potest carere quavis cognitione distributiua, non collectiua.

Molin. Val.

Suar. Beccan.



cessare ab omni cognitione. Quia non potest esse exercitium libertatis sine cognitione actus praesente & vigente. Idemque in nobis experitur, qui quando vigilamus, & usum rationis habemus, possumus quidem deponere quamcunque intellectiōem, sed non omnem. Quod si in somno prorsus omnem deponimus (quanquam ne tum quidem intellectum plane oritari existimo: sed confusius agere & perturbate. Nam tum etiam cogitamus de Deo, & rebus aliis immaterialibus superantibus potentiam sensitiuam materiale) non tamen idem est de Angelis, qui non subsunt impedimentis corporeis, & semper habent obiectum aliquod sibi praesens, & alia sufficientia ad cogitandum aliquid, saltem se ipsos, & quae sibi intrinseca sunt, ac naturaliter proportionata suae cognitioni.

Eodem recidit dilemma Suaris lib. 2. cap. 35. num. 6. Si Angelus cessaret ab omni cognitione collectivae: vel naturaliter & necessario id faceret, vel liberè. Non primum: quia nulla causa naturalis & necessaria apparet, quae possit Angelum priuare aut impedire ab omni cognitione: cum nulla ei vel potentiam intelligendi, vel species & habitus, vel obiecta omnia possit subtrahere, saltem non seipsum, & quae sunt ipsi intrinseca naturaliter inseparabilia. Secundum etiam dici nequit: quia ut Angelus liberè ablineat, debet cogitare. Cum omne exercitium libertatis presupponat cognitionem. Nam omnis actio libera, est voluntaria. Voluntas autem est, quod est à principio intrinseco cognoscere.

Dices, hoc tantum argumento probari, quod quando est volitio libera, vel imperium abstinendi ab omni cogitatione, debeat tunc esse praesens aliqua cogitatio: non quod debeat in posterum esse, quodque voluntas non possit hoc instanti praecipere licet cessationem ab omni cognitione pro tempore sequenti: ad eum modum quo voluntas nostra intellectum auerit ab illis cogitationibus, quarum exercitium prohibet & corrumpit, impeditque continuationem pro tempore sequenti. Quod facilius potest facere Angeli, quia eorum intellectus facilius obsequitur voluntati, quam nostrae: quippe non impeditur, neque alligatus phantasiae temeritati.

Respondeo actum voluntatis non habere vim efficaciter impediendi aut suspendendi exercitium intellectus, nisi quando est & vigeret. Atqui quando est, necessario supponit naturam praesens exercitium aliquod intellectus. Quicquid enim voluntas velit, cogitat intellectus de eo, quod ipsa vult. Ergo qui liberè cessat ab aliqua cogitatione, cogitat de cessatione ipsa, quam experit voluntas; quippe qui nequit voluntarie & liberè in incognitum ferri. Quod etiam in nobis verum est, quando per actum voluntatis aueramus intellectum à cogitatione aliqua. Nam tunc etiam necesse est, ut cogitemus

de cessatione cogitationis, cuius cessatio praecipitur per imperium voluntatis: & consequenter de obiecto, à quo mentem deinceps auertimus. Ad hoc tamen sufficere potest cognitio confusa & indirecta, cum cessationis, tum obiecti. Potest enim voluntas imperare cessationem cogitationis, licet de illa non cogitetur, nisi confusè, & non ut exprimente distinctè obiectum. Praeterea quod inuari potest ab aliis obiectis, locis, personis, & similibus circumstantiis, ad quas liberè mens auocata & conuersa, cessat à prioribus cogitationibus, nouis totaliter occupata, quarum vi proximè ab aliis cessat, remotè autem per imperium voluntatis, quae istis applicauit.

Denique quod Angelus cessare possit naturaliter ab omni cogitatione alienum videtur à naturali eius perfectione. Sic enim consequenter cessaret ab omni volitione; & ab omni alia operatione vitali, quippe quae cognitionem praesupponit. Siquae Angelus otiosus omnino foret, & quasi mortuus omni actu secundo vitae destitutus. Quod vix accidit viventibus imperfectissimis. Est autem perfectioris, & quidem simplicis, esse semper in aliquo actu secundo vitae, quem multipliciter Deus per essentiam ipsam habet: cetera vero magis aut minus participant, prout capacia sunt, ut ait Thom. 2. contra Gent. cap. 97.

Contra primam partem sentit Durand. in 2. dist. 3. quaest. 8. cuius opinionem refutamus & refutabimus sec. sequenti; Et Becan. cap. 1. de Angelis q. 7. num. 5. qui obicit non omnem Angeli cogitationem esse liberam. Ergo est aliqua naturalis & necessaria, quae non potest carere. Probat antecedens: quoniam omnis cogitatio libera supponit actum liberum voluntatis, à quo libera denominatur. At omnis actus liber voluntatis supponit cognitionem: Ergo vel datur processus in infinitum, vel peruenitur ad aliquam primam cogitationem independentem à voluntate, ac proinde necessariam. Si enim omnes intellectiōnes essent liberae, iam omnes penderent à libero imperio voluntatis. Ergo aliqua volitio esset prior quavis cogitatione, quod absurdum est.

Respondeo non omnem cogitationem Angeli esse liberam in fieri: sed aliquam necessario & naturaliter produci. Illa tamen ipsa non necessario permanet semper, sed potest liberè abici, aut aliter desinere. Quem admodum, licet in nobis admittenda sit cogitatio aliqua non libera: non tamen illi semper affixi sumus; neque ut est necessaria in fieri sic & in conseruari, quasi liberè non possit deponi, aut aliter desinere.

Idem Auctor ibidè quaest. 9. in fine, & Suar. lib. 2. cap. 36. contendunt Angelum semper & necessario versari naturaliter in Dei cognitione. Ratio eorum est, quia semper versatur in cognitione intuitiua sui ipsius. Ergo semper in seipso agnoscit dependentiam, quam habet à Deo, & consequenter Deum ipsum.

Suar.

Durand. Becan.

Sine aliqua cogitatio Angelus naturalis & necessaria.

10.

Suar. Angelus non semper & necessario versatur in Dei cognitione naturaliter.

MARTIN NIUS IN-AM-PA- D-VI

Instantia repellitur.



Verum, gratis assumunt versari semper Angelum in sui cognitione adeo perfecta, ut sit cognitio dependens a sua: prima causa, a qua dependet abstrahere potest cognitio etiam intuitiva minus perfecta rei licet dependentis: ut in visione albedinis sensu ipso manifestum est.

Addit Suarez Angelum naturaliter non modo seipsum semper intueri, sed & sua omnia, & singulariter species omnes quibus instructus est, ut habeat dominium quoddam in suas cogitationes, possitque liberè, si velit, hac aut illa specie uti, & consequenter de hac vel illa re distinctè cogitare. Fundamentum eius est num. 32. quia natura non deficit in necessariis. Sed Angelis ad propriam vitam intellectualem & liberam convenienti modo exercendam necessarius est aliquis actus naturalis seu necessarius quo se plenè intueatur, qui possit esse origo & quasi fundamentum primæ volitionis, & aliam cogitationum; ergo &c.

Respondet primo, non apparere in Angelis talem necessitatem, cum sine tali cognitione naturali & naturaliter indefectibili, possint determinari ad primas & naturales cogitationes ab occursum obiectorum, & aliquid liberè, uti species ab cogitatione liberæ, absque directâ ipsarum cognitione, qualem nos nunquam experimur, licet experiamur nos liberè transire ab vna cogitatione ad aliam. Ac sicut determinatio ad primas & naturales cogitationes, & liberæ ad liberæ, in nobis est sine specierum cognitione: sic, & quidem perfectior, potest esse in Angelis, licet non habeant naturalem illam & ineffabilem notitiam specierum suarum, quam præterdit Suarez. Quamvis valde probabile sit, Angelum semper moraliter, id est, ferè semper & frequenter in notitia saltem confusa sui, suarumque rerum versari, adeoque specierum, quas habet: quæ cognitio illum iuvare potest ad earum usum liberum.

Secundò dico, si Angelus perfectè cognoscit omnes suas species, ut ibidem affirmat Suar. num. 27. cognoscit etiam perfectè & distinctè omnia quorum sunt species. Nam species habent ordinem essentialem ad illa, ut talia: ergo non possunt sine illis perfectè cognosci. Sine illis, inquam, distinctè & perfectè, licet indirectè & per aliud, cognoscitur, ut Casar cognoscitur per ipsius imaginem. At utrumque incredibile est, & impossibile. Species enim Angelorum plurimæ sunt, & plures ac plures in infinitum acquiruntur per actus cognitionis: Virtus autem intellectiva Angelorum finita est, & certam spheram habet. Ergo non potest in tam multa extendi. Deinde illa cognitio tam perfecta specierum esset inutilis ad finem, quem intendit Suarez: nempe ut Angelus se liberè determinet ad cognitionem distinctam huius aut illius obiecti. Iam enim illam æquè distinctam haberet.

Dices, non magis esse finitam vim cog-

noscendi intellectus Angelici, quàm vim recipiendi species. Quare si hæc est infinita & illa pariter. Sin autem hæc finita est, & certum habet terminum, vltra quem non potest recipere: intellectus, non obstante sua limitatione, poterit omnes simul intelligere, quas naturaliter potest simul recipere.

Respondeo, vim recipiendi species, ad multò plura simul extendi, quàm vim intelligendi, ut in nobis experimur, qui rerum longè plurimarum species simul retinemus, licet de paucis tantum distinctè & perfectè cogitare possimus. Ratio huius rei est, quia officium subiectandi species longè imperfectius est, & minus operosum, quàm exercitium videnti & cognoscendi. Ideo exercitium completur mensura intelligendi, quàm mensura recipiendi species, posito quòd utraque finita sit, ut esse existimo. Quapropter non acquiruntur in infinitum novæ ac novæ species, remanentibus prioribus: sed cum sint fluxa, pereunt sensim, nisi novis actibus reparentur aut foueantur, & alio locum relinquunt.

Virtus recipiendi species ad plura simul extenditur, quàm virtus cognoscendi.

SECTIO II.

An Angelus possit multa, ut multa, intelligere?

Respondet affirmativè, idque tum vno actu, tum multiplici: tum sine speciebus per speciem, & unicam & plures.

Prima pars facilis est. Nam distincta ut distincta, sunt multa. At Angelus potest simul distincta ut distincta intelligere, & non tantum ratione, sed etiam re distincta. Si quidem nos idipsum posse constat experientia, quando v. g. plures colores diversissimos simul intuemur, vnuquemque ad suam propriam ipsius differentiam, & oppositionem cum alio.

Angelus possunt multa, ut multa & diversa intelligere.

Secunda pars, quòd vno actu, probatur quia in nobis etiam ita fit. Nam omnis actus comparativus, quo vnum cum altero comparamus, ut idem aut diversum, vel ut simile aut dissimile, æquale aut inæquale; tendit necessariò & indivisibilitè, in duo extrema comparationis, sine quibus impossibile est intelligi identitatem aut diversitatem, similitudinem aut dissimilitudinem, æqualitatem aut inæqualitatem. Etiam duo actus diversi, quorum vnus absolute attingeret vnum extremum, & alius alterum; non essent notitia identitatis aut diversitatis, similitudinis aut dissimilitudinis: id est, non cognoscerent illa formaliter & expressè, ut similia sed tantum materialiter, ea quæ sunt similia. Quæ merito Aristot. 3. de anima cap. 2. ex. 146. iuxta Grecorum opinionem, affirmat, eum qui vnum ab alio differre videt, verumque etiam re, quæ simul cognoscit. Confirmatur: quia si posset actus vni similitudinem aut differentiam extremam

Idque etiam vno actu.

Neque in suarum omnium specierum cognitio.

12.

13.



& non in extrema: posset actu illo solo manente cognosci similitudo vel differentia extremorum, non cognitis extremis. Quamque similitudo formaliter importet, & includat essentialiter duo extrema (suppono enim ex dictis disp. 25. sect. 2. num. 19. & sequentibus nihil esse aliud quam duo extrema inter se comparata) tam est impossibile cognosci, vltimo actu intellectus similitudinem, non cognitis extremis eodem actu; quam est impossibile cognosci hominem, non cognitis partibus eius intrinsicis & essentialibus, sine quibus nec esse potest, nec concipi. Adde, non esse plerumque; operosius cognoscere multa unico actu, quam multis; & alioqui naturam esse a matrem unitatis: & Deum unico actu simplicissimo omnia comprehendere.

16. potest etiam actu multo fieri.

Tertia pars responsi, quod tamen etiam multis actibus possit Angelus multa ut multa cognoscere, tum successiue, tum etiam simul tempore, probatur: quia non est Angelus tanta perfectionis, ut multitudo actuum illi repugnet. Et aliunde potest non exhausta tota vim intelligendi in primum actum circa obiecta primò occurrentia. Vnde aliis superuenientibus poterit, actu priore inuariato, alium exercere circa noua obiecta. Neque enim est necesse perire idem priorem actum; quandoquidem intellectus Angeli est ad utrumque sufficiens. Confirmatur: quia si possunt homines pluribus actibus multa simul cognoscere, ut multa: possunt & Angeli, quorum virtus intelligendi amplior est. Atqui nos ipsi experimur intellectum nostrum, persistentem in priori cognitione alicuius obiecti, attendere aliis obiectis aduenientibus. Et quando iudicium aut discursum exceperimus, sapientissime ab apprehensione distincta determinamur ad actum iudicii: & ab assensu premissarum ad assensum conclusionis. Tunc autem ~~neque~~ est, plures illos actus simul: nisi alioqui non posset vnus physice determinare ad alium. Nihil enim agit physice quando non est. Consentunt Molina, Gmel, & plures alii interpretes I. Thomæ q. 58. art. 2. Ferrar. 2. cōtra Gentes c. 101. §. Ad primum responsum est superius: Suar. lib. 2. cap. 37. num. 12. Valent. q. 9. p. 3. & Vasq. disp. 220. cap. 2.

Molina, Gmel, Ferrar, Valent, Vasq.

Reliqua partes responsi sequuntur ex prioribus. Primum enim, si actus ille vnus aut multiplex attingens multa & distincta, fertur in obiecta, sufficienter per se presentia: non eget specie, quæ tantum requiritur ut vice obiecti absentis potentiam determinet. Secundò, cum Angelus multa unico actu intelligit: actus ille relinquit vnã sui speciem adequatam, ad causandam sui memoriam, & obiectorum per ipsum cognitorum. Ergo si deinde Angelus vtatur adequatè, vt potest, huiusmodi specie: cognosceret per illam speciem vnã multa ut multa. Idem quod dico de speciebus vnio in suis: quippe adequatis perfectioni actuum simplicissimum cuiusque Angeli: idèo quod vnuerfali-

ribus, id est, plurium representatiuis, in Angelis superioribus, pro maiore capacitate intelligendi. Quibus cum Angeli vtuntur adequatè, tam multa simul cognoscunt, quot sunt illa, quæ distinctè representantur per eiusmodi species.

Contra verò, cum Angeli multa, ut multa, diuersis actibus simul cognoscunt, vt fieri posse ostendimus: nullus illorum est adequatus intellectui Angelico: alioqui non plures simul exerceret. Ergo nec species ad ipsos relicta, adequata sunt, singillatim sumptæ. Ergo Angelus poterit illis pluribus simul vt, vt recorderetur obiectorum multorum ante cognitorum per actus ex quibus sunt relicta. Neque enim illa multitudo specierum impedit, aut plus inducit difficultatis, quam multitudo obiectorum per se presentium & concurrentium: & aliunde intellectus sufficiens est ad tam multa simul percipiendã: alioqui non ea simul antea percepisset. Adde, quod potest Angelus comparare inter se ea, quæ diuersis speciebus representantur, & illa cognoscere tanquam diuersa. Cognitionis autem comparatiua debet esse vnã. Et dum cognoscitur vnus diuersum ab alio, debet cognosci illud à quo diuersum est. Et nihilominus diuersa quæ representantur per species distinctas, non cognoscuntur per vnã speciem, id est, cognitione vnã quæ per vnã speciem intelligibilem habeatur, sed per diuersas. Consentit hac in parte postrema Suar. lib. 2. cap. 37. à num. 14. Vasq. disp. 220. cap. 2. & Molina. q. 58. art. 2. disp. 1.

18.

Circa primam partem, sunt qui existimant non posse multa simul intelligi, nisi vniantur in aliqua ratione intelligibili: puta vel in vnã specie impressa, vel in habitudine ad vnũ quod, vel in ratione communi obiectiua. Sicque videtur sentire Thom. art. 2. q. 58. vt ingenue fateatur Molina, supra citatus, aliis frustra explicare conantibus. Fundamentum eorum est: quia sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini: ita ad unitatem cognitionis requiritur unitas obiecti. Addunt illud Aristot. 2. Topic. cap. 4. loco 32. & 4. Metaphysicæ cap. 4. tex. 10. Contingit plura scire, cogitare autem non. Item, Fit vt nihil intelligat, qui nihil intelligit vnũ.

19. Multa potest simul cognosci, sine alia vnione. D. Thom. Molina.

Verius tamen certè, ad hoc vt multa cognoscantur, vt multa, simul vno actu aut multiplici, non esse necessarium vt illa multa sint aliter vnũ, quam collectione & denominatione extrinseca, quatenus cadunt, aut cadere possunt sub eandem potentiam, vel sub vnũ & eundem actum. Non autem vt sint vnũ unitate obiectiua, vel unitate medii cogniti aut incogniti. Quasi verò sit necesse cognosci vt vnũ, aut sub ratione obiectiua specialiter vnã, aut vt ordinata ad vnũ quid, vel per vnã speciem representata. Sed & quæ talem ordinem, aut unitatem habent, non tantum secundum illam intelliguntur; verum etiam possunt sine illa absolute vt diuersa, & vt multa intelligi.

Aristot.



Soluntur argumenta contra trinitatem.

Ad fundamentum autem contrarie opinionis respondeo, si motus est realiter ipsum mobile, ut ego existimo: non requiritur vnitas termini ad vnitatem realem motus. Sin autem, vt multi volunt, idgnificatur motus realiter cum termino, nego paritatem. Nam cognitio obiectorum, de quibus loquimur, se habet extrinsece ad obiectum, & ab illo realiter differt, non minus quam species ipsa impressa: quæ si multorum vt multorum, & non aliter vnitorum esse potest, vt fertur D. Thom. in eodem art. quidni expressa, seu cognitio ipsa idem possit? & sicut impressa seipsa formaliter vna est & vnus speciei, licet ad multa extendatur: sic expressa.

Aristoteles vero priore loco significat contingere, aliquando scilicet, & indefinite, vt plura sciuntur habitualiter, & tamen actu non cogitentur. Posteriore affirmat, si nomen non significet vnum quid, fore vt qui nomen audit nihil intelligat. Vel vt alii interpretantur: Quod si quis non possit intelligere vnum quid, & seorsim ab aliis, consequens est vt nihil cognoscere possit. Nec enim est, cui possit quæ plura posse, si nequeat singula. Vnde in tertio Aristoteli nomina posse significare, vnum quid. Si enim possumus concipere vnum quid distincte ab omnibus aliis, quidni & significare?

Angelus non cognoscit nisi omnia sibi presentia in se vel in suis causis.

Ex opposito Durand. in 2. dist. 3. q. 8. censet Angelum simul cognoscere vnico actu omnia quæ sunt ipsi presentia in se vel in suis causis naturalibus & determinatis, quantumcunque diuersa: ac semper esse in actu secundo cognoscendi omnia. Ratio eius est, quia intelligere fit per hoc, quod intelligibile sit presentia intellectui. Hæc autem omnia sunt semper presentia intellectui Angeli, in se, vel in suis causis naturalibus & necessariis.

Neque omnia quorum species distinctas habet.

Gregor. vero in 2. dist. 11. q. 1. docet Angelum posse saltem cognoscere simul diuersis actibus ea omnia, quorum species distinctas habet. Quia species sunt causæ partiales intellectiōis, quibus additis augetur vis intelligendi. Quod enim plures causæ partiales cooperantur alicui, eod illud plura potest, cum semper fiat accessio virtutis. Ergo licet addantur species in infinitum: poterit Angelus, crescente semper intelligendi virtute, omnia intelligere. Sicut lumen concurrens partialiter cum vno colore ad speciem eius causandam, & similiter cum alio colore: potest simul cum omnibus coloribus circumstantibus concurrere ad causandam illorum speciem. Confirmatur, quia neque intellectus Angeli, neque species fatigantur: & vna virtus quæ simul potest duas actiones, quæque facile potest vt ramque simul, quam alteram tantum. Vt aqua quæ potest frigidificare & humectare simul, quam humectare tantum.

22.

Ad primum argumentum Durandi Respondeo, intelligere non potest fieri per hoc, quod intelligibile sit presentia intellectui, se-

vlterius requiri vt potentia operetur, & tendat vitaliter in obiectum. Possunt autem esse, & res ipsa sunt tam multa simul ei presentia, in se, vel in speciebus, aut aliis causis determinatis: vt in omnia simul & distincte intendere nequeat.

Respondeo tur argumentis opinionis Augustini.

Ad secundum Gregorii Respondeo primo, species non coëficere cum intellectu, sed tantum determinare. Secundo, licet coëficerent, quælibet non iuuaret nisi ad potestiam sui obiecti, neque auget intellectum in ratione intellectus, qui deberet nihilominus cum omnibus influere. Virtus autem vna cooperans multis ad diuersos effectus, & per se ipsam immediate influens in quælibet illorum, non potest simul cooperari quælibet multis, si ipsa est finita & limitata. cuiusmodi est intellectus Angelicus: quia virtutis finite non potest esse influxus infinitus. Quod etiam de lumine in exemplum allato verum est. Quanquam lumen non agit vitaliter attendendo singulis effectibus, vt intellectus debet necessarid attendere singulis obiectis actuum diuersorum.

Ad confirmationem dico, licet neque species neque intellectus Angeli fatigetur, exhauriri tamen eius vis intelligendi, nimia actuum multitudine. Quando enim vna adque virtus finita, duas aut plures actiones simul exercet; dispergitur, & tandem exhauritur. Secus autem quando vnum idemque suppositum operatur per duo vel plura principia totalia realiter distincta. Tunc enim virtus vnus non exhauritur actione alterius, ad quam nihil confert; vt res habet in exemplo aqua frigidificantis & humectantis, frigore & humore realiter distinctis. Superius autem ostendimus, tam multas esse simul species in intellectu Angelorum, & tam multa se presentare, vt simul omnibus perfecte & distincte attendere non possint. Maxime cum inter illas multæ sint, quæ infuse quædam sunt, proportionate & adæquate toti acquiruntur Angelorum. Quales scilicet acquisiuerunt maximis actibus & adæquatis toti conatui potentia, qualesque Deus istis similes vnique ab initio intudit. Quanquam non est necesse, vt quoties Angelus his speciebus vitur, adæquate vitur. Nam vnus species est absolute liber angelo, & quoad exercitium, & quoad extensionem, vel intensionem representandi: non minus quam vnus virtutis motiua. Atioqui non posset Angelus suas omnes species enumerare, nec duas adæquatas inter se comparare. Nisi enim illis vitatur in adæquate, non potest simul in vitæque intendere. Notitia autem comparatiua, est necessarid duorum simul.

24.

Vnde collige, angelos posse cognoscere aliquid confuse & in adæquate secundum rationes generaliores, aut secundum particularem aliquam, sine aliis, re licet indistinctis. Priori enim modo cognoscit Angelus suas species adæquatas, quando illas comparat inter se, vt illas numerat. Cognoscit inquam confuse vnus species, vel vt qualitates spiritus.

Angelus potest cognoscere aliquid comparate & in adæquate.



les permanentes & habituales. Posteriori vero, quando intendit in speciem suam, ut representatiuam vnus, aut aliquorum tantum obiectorum ex his omnibus, ad quae representanda valet. Quo possit Angelum facere pro sua libera electione, paulo ante ostendimus.

25. Neque obicitas, liberam electionem praesupponere cognitionem eorum omnium inter quae fit: adeoque electionem liberam obiecti inter ea quae representantur à speciebus Angelorum, supponere notitiam omnium. Respondeo enim supponere quidem aliquam cognitionem, sed confusam sumere: quem admodum, in nobis experimus, qui nos liberè applicamus ad cogitandum hoc aut illud obiectum inter ea quorum notitiam habituales retinemus: absque eo quod talis electio praesupponat notitiam distinctam & expressam illorum omnium obiectorum actu praesentem, quando fit electio.

## SECTIO III.

Et Angeli discurrant intelligendo?

26. **R**espondeo, discursum tam secundum successiones, quam secundum causalitatem, etiam physicam & formalem, non repugnare Angelis: licet illo minus indigeat, & minus utantur quam homines. Prima pars sequitur ex sectione praecedenti. Et patet: quia discursus secundum successiones in eam nihil est aliud, quam simplex successio plurium actuum. Vt cum aliquis postquam cogitauit de sole, cogitat de luna, vel de stellis. At Angeli multa successiuè cognoscunt. Neque enim simul ab initio & inuariabiliter errant, imò hoc possunt simul nosse, omnia quae successiuè cognoscunt.

27. **S**ecunda pars probatur quia discursus secundum causalitatem, seu secundum illationem, nihil est aliud, quam transitus quidam & cursus mentis à notis ad ignota, per illationem ex illis deducta. Ad quod necessarium duae interueniunt cognitiones, siue realiter, ut in discursu physico secundum physicam causalitatem: siue virtualiter tantum, ut in discursu metaphisico. Quarta cognitio posterior determinatur à priori propter nexum consequentis cum antecedente, & sequentiam obiectiuam cognitionem. Ad hunc enim discursum non sufficit nosse velut simplici intuitu antecedens, consequens, & consequentiam: sed requiritur distinctio actuum quorum is, qui est circa antecedens, transit ad alterum, qui est circa consequens. Ita ut ex assensu antecedentis, & vi illius vitalis illuminationis, urgeatur vitaliter & determinetur intellectus ad assensum consequentis. Non est tamen necessaria inter hos actus prioritas & successio temporis, sed natura tantum. Quia non est necesse, ut assensus consequentis expectet assensum assensus antecedentis: cum intellectus sit capax utrumque simul cognosca-

di, & cognitio vnus non repugnet esse simul cum cognitione alterius. Imò cum assensus antecedentis debeat physicè determinare intellectum ad assensum consequentis, debet illi coexistere. Quia nihil physicè determinat, dum non existit. Non est quoque necessarium ut assensus antecedentis tempore praecedat assensum consequentis. Quia causa completa potest habere effectum cum finem esse. Atqui cum primum est assensus antecedentis, & aduertentia bonae illationis, est causa completa ad assensum consequentis: Ergo &c. Imò neque necessarium est distinguere realiter utramque cognitionem. Cum non sit quicquid plura simul obiecta vno actu cognoscere, quam diuersis. Et ex parte quidem potentiae, non apparet, cur id non possit. Ex parte vero obiecti non obstat nexus aut dependentia vnus obiecti ad alio. Nam haec potius necessitatem inducit, ut simul actu eodem cognoscantur. Vnde etiam fit, ut semper ac necessariò assensus consequentis formaliter, ut talis, feratur in antecedens, consequens, & sequelam. Quod in consequens, constat. Quod in sequelam probatur: quia non foret in consequens absolute, sed ut connexum cum antecedente, quam connexionem designat particula, Ergo. Quod denique in antecedens, probatur: quia nexus & vnio extremorum intelligi nequit sine extremis quae essentialiter importat. Nexus enim, siue vnio, est essentialiter vnus cum altero connexio. Ergo nexus antecedentis & consequentis intelligi nequit, nisi eo actu quod attingitur, attingantur pariter antecedens & consequens, secundum eas rationes quibus necantur.

Licet autem Angeli multa cognoscant vno simplici intuitu, vel ad eum modum quo nos prima principia per se nota, per modum simplicis intelligentiae; id est, sine illatione, per quam ad vnum obiectum de se ignotum, lumen ab alio per se noto mutantur: aliqua tamen sunt, quae non nisi per discursum causalem, ignota ex notis inferendo, cognoscunt: praesertim circa futura contingentia, illis per se obscura. Sic ex quibusdam signis coniciebatur daemones Christum esse Filium Dei, signis primum in se perspectis, & atterè perpenis, tum per illationem causalitatis concludendo. Sic etiam cognitio situ astrorum qui post annum erit, tum alio actu perspecto temperamento huius vrbis: inferre possunt talen morbum, aut effectum futurum vi temperamenti, & applicationis astrorum. Cognitio etiam temperamento alicuius hominis, vel inclinatione habituali, colligunt quid in tali occasione sit liberè facturus. Et si arcana cordis, Abbas saltem non consentientibus, neque externo vilo signo manifestantibus, cognoscere nequeunt nisi ex variis antecedentibus & consequentibus inter se comparatis, possunt ea conaturaliter ex illis inferre. Possunt etiam ea



qua nos ipsi discursiue detegimus de secretis cordis nostri, discursiue cognoscere: adherendo primū maiori propositioni, tum minori & conclusioni. Quid enim prohibet, vt se nobis accommodent, & percipiant quæ proponimus, eodemque ordine?

29. Molin. Valq. Reynaud. Hurtad. Suar.

Consentiunt Gregorius Arimin. Occam, Gabriel, Scot. Marfil. & alij, quos citant & sequuntur magna ex parte Molin. 258. art. 3. Valq. disp. 222. cap. 3. Theophil. dist. 4. quæst. 1. art. 6. n. 12. & 126. Hurtad. disp. 12. Metaphyl. sect. 4. num. 26. & Suar. lib. 2. cap. 33. num. 18. Quibus addi possunt Porphyr. Damasc. & alij definites Angelam (corporeum existimantes) animal rationale immortale: concedentes vtique discursum, & ratiocinandi facultatem. Solent tamen Angeli dici potius intelligentiæ, quam discursiue rationales: quia minus frequenter discunt, & circa pauciora, quam homines: sed per modum intellectus, siue habitus principiorum, intelligunt, vt ait S. Thom. quæst. 58. art. 3. c. Nam propter subtilem intelligendi vim, quæ pollet supra homines, solent simplici intuitu cognoscere effectus naturales, in esse proprietates, & accidentia cõbita, & a eiu nodi, quæ nos non sine labore ac difficultate per discursum indagamus. Quæ de causa dixi in extrema parte conclusionis, Angelos minus egere discursu, & minus illo vi, quam homines: quod adeo per se notum est, vt non maior probatione opus habeat.

D. Thom.

D. Thom. art. cit. videtur omnem discursum illatiuum remouere ab Angelo, eumque sic Thomistæ communiter intelligunt & sequuntur. Alii verò melius aiunt D. Thomam negare tantum Angelis discursum illatiuum circa obiecta naturalia sibi uidentia: in quibus scilicet cognoscendis eget tantum simplici applicatione intellectus: neque opus habet lumen ab vno obiecto mutare, vt aliud cognoscat: sed vnumquodque per se clarè cognoscit.

30. Sententia contraria argumens satis sic.

Primum arg. ex Diony.

Argumenta D. Thomæ loco cit. hæc sunt. Citat primò Dionysium cap. 7. de diuin. nom. affirmantem, Angelos non congregare diuinam cognitionem a sermonibus diffusis. Verum ibi Dionysius non loquitur de qualibet Angelorum cognitione: sed tantum de ueritatis, vel de alia diuina immediatè à Deo accepta, aut mediantribus Angelis superioribus alios illuminantibus.

Secundum argum.

Secundò, dicit Angelos illum gradum tenere in substantiis spiritualibus, quem corpora cœlestia in substantiis corporeis. Hæc autem est differentia inter cœlestia, & terrena corpora: quod corpora terrena per mutationem & motum adipiscuntur suam vltimam perfectionem. Corpora verò cœlestia statim ex ipsa sua natura suam vltimam perfectionem habent. Sic igitur & inferiores intellectus, scilicet hominum, per quendam motum, & discursum

intellectualis operationis, perfectionem in cognitione veritatis adipiscuntur: dum scilicet ex vno cognito in aliud cognitum procedunt. Si autem statim in ipsa cognitione principij noti, inspicerent quasi notas omnes conclusiones consequentes: in eis discursus locum non haberet. Et hoc est in Angelis. Quia statim in illis, quæ primò naturaliter cognoscunt, inspicunt omnia quæ consequè in eis cognosci possunt: & ob plenitudinem luminis intellectualis, statim in primò aspectu principiorum totam virtutem eorum comprehendunt, intuentur quicquid ex eis syllogizari possit.

Respondeo primò, hoc argumento probari tantum Angelos non discurrere circa obiecta naturaliter sibi notanda, comparationem illam Angelorum cum corporibus cœlestibus nimè probare. Nam probaret Angelos ne successiue quidem discurrere, transendo simpliciter ab vna cognitione ad aliam, & acquirendo successiue perfectionem, quam habent ex multitudine & successione cognitionum, quod est contra ipsummet S. Doctorem art. 7. quæst. 58. Tertid, neque omnia cœlestia corpora habuerunt simul ab initio omnem perfectionem, atque omnem lucem, & motum, & suum, quem semper habuerunt; sed aliquæ partes initio luce caruerunt, & nunc etiam carent pro vario solis accessu. Sol ipse modo citius mouetur, modo tardius, pro viore, vel minori accessu ad perigeum, vbi est maxima linea motus solaris. Quartò, potest Angelus inadæquate, vt pro sua libertate, tanta luminis plenitudine, si eam haberet tam perfectam, vt possit statim in primò aspectu principiorum totam eorum virtutem comprehendere, & in vni quicquid ex eis syllogizari possit. Sed non est verisimile Angelum, qui tantum paucis à nobis distat, vt ait Scriptura, primò & simplici cuiusque rei intuitu cognoscere quicquid ex illa deduci potest per quamcunque comparationem & combinationem cum aliis, probabiliter, certò, vel euidenter: cum interdum ex aliquo principio cum aliis composito plura & plura infinitum deduci possint, vt patet ex principijs mathematicis. Denique infinitè maior est luminis intellectualis plenitudo in Deo, cui tamen discursus illatiuus metaphysicus non repugnat, in dō necessariò conuenit, cum vnumquodque cognoscat, omni modo quo est cognoscibile circa imperfectionem, per se, & per alium simpliciter & assertiue, atque illatiue per omnia media, ex quibus rectè deduci potest. Perfectius enim est omni modo, quam hoc tantum, vel illo cognoscere. Quæ de re plura diximus disp. 10. sect. 1. Et hæc rē de capacitate vel necessitate discursus respectu Angelorum. Superiora cætera, quæ ad naturalem horum cognitionem attinent, persequamur.

R r r



SECTIO IV.

De reliquis ad modum cognitionis Angelica pertinentibus.

33. Ex dictis à fortiori colligitur, Angelos posse componere & diuidere intelligendo. Formando scilicet diuersos conceptus de rebus, & vnum conceptum obiectiuum alteri tribuendo, quod est componere: aut negando, quod est diuidere. Diuersos, inquam, vel realiter, vel formaliter, concipiendo eodem licet actu duo obiecta realiter, aut formaliter diuersa. Prior compositio vel diuisio, physica dici potest: posterior, metaphysica: & vtraque potest Angelis conuenire, vt de discursu superius diximus, & patebit ex sequentibus.

34. Iudicium mentis operatio quod sit?

Angelos quidem affirmatiue & negatiue iudicare, atque habere quicquid est perfectioris in humano iudicio, nemo dubitauerit. Est autem iudicium, vitalis quaedam adhaesio intellectus ad obiectum propositionis, quae asseritur sic esse vt affirmatur, vel abhorrentia & dissensus oppositus. Estque realiter actus simplex, attingens simul vtrumque extremum propositionis obiectiuae, & copulam. Est enim notitia comparatiua extremorum, vnum ad aliud referens, vt ad idem aut diuersum. Atqui notitia comparatiua attingit, necessitate ea, quae comparatur inter se: Ergo, &c. Ille tamen actus, quamuis realiter simplex, est formaliter multiplex: quatenus extrema tanquam diuersa concipimus, & comparamus velut distincta. Quin etiam vt plurimum praecedunt apprehensiones realiter diuersae circa subiectum & praedicatum, diuersis actibus successu coniecta. Angeli vero simpliciter simplici conceptu apprehendunt adequatè, prout in re sunt, apprehensione simplici, aequivalente nostro iudicio compositiue, ac diuisiue: sunt tamen aliqua quae non ita perfecte cognoscunt: sed, sicut nos, vtuntur compositiue & diuisiue, vt obiecta illa comparant inter se, sciendo vt disiungendo, per assensum vel dissensum, seu per affirmationem aut negationem mentalem. Talia sunt illa, quae non nisi ex testimonio, vel ex indicis obscuris cognoscunt: vt Christum esse Deum: aut Verbum diuinum non esse idem re cum Patre & Spiritu sancto. Quin etiam circa alia simplici intuitu naturaliter cognoscibilia, non apparet, cur non possint, aequè ac nos, liberè vti, si velint, compositiue & diuisiue, licet alioqui non necessaria.

Angelus perficitur compositiue, & diuidere potest iudicium.

35. Vnde sit necessitas compositiue & diuidendi?

Notandum est, necessitatem compositionis & diuisiue oriri ex eo, quod res in se non cognoscantur germanè vt sunt. Quin enim, vt iam vidimus Angelum esse

spiritum, formamus vnum conceptum Angeli, & alterum spiritus, tanquam rerum distinctarum, quas per copulam, est, coniungimus, & his conceptibus obiectiuis sic apprehensione coniunctis, adhaeremus. Nos enim talem compositionem non videmus, sed facimus: & fallimur interdum componendo ea quae reipsa disiuncta sunt. Sic etiam cum dicimus, Angelus non est corporeus, firmamus conceptum Angeli non germanè cogniti quae spiritus est, & euidenter oppositus corporeo. Neque enim talem diuersitatem in seipso, prout est parte rei, cognoscimus. Quemadmodum autem quando oculis perspicimus albedinem & nigredinem, non egemus noua comparatione, vt intelligamus albedinem esse colorem, aut albedinem non esse nigredinem: quia haec affirmatio, vel negatio, virtute & aequialenter continetur in simplici intuitu: sic Angeli in iis omnibus quae germanè cognoscunt, non egent compositione vel diuisione. Nam ille intuitus, vel cognitio euidentis, scilicet & aequialens nostro iudicio compositiue & diuisiue, redditur Angelis modo certum, vt ex illis sit asseritur sem, quemadmodum dum videt, si eam velit enunciare. Quin etiam ita conficit suo illi intuitui, vt nunquam illum corrigat: licet nos saepe apprehensionem nostram & iudicium corrigamus. At verò in iis, quae confusè tantum cognoscuntur ab Angelis, par est ratio, vt aequè ac nos, compositiue & diuisiue indigeant, quae res confusè apprehensas comparent inter se. Et quia longè plurima sunt, quae nos confusè, Angeli verò clarè percipiunt, prout sunt: hinc fit, vt multò minus compositiue & diuisiue indigeant.

Conferuntur Suar. lib. 2. cap. 32. num. 17. Vasq. disput. 123. cap. 1. Theophil. dist. 4. quaest. 1. art. 6. & alij Recentiores. Contra verò, non pauci, inter quos esse videtur D. Thomas quaest. 58. art. 4. in corp. negat simpliciter Angelos componere & diuidere. Ratio sancti Doctoris est, Quoniam, inquit, Angeli vno intuitu, sicut in antecedente cognoscunt omne consequens, ideòque non discuntur sic in subiecto cognoscunt omne praedicatum affirmabile & negabile, ideòque nec componere, nec diuidere. Quod si possent in antecedente non nosse statim omne consequens, nec in subiecto omne praedicatum: possent discurre, itemque componere & diuidere.

Verum credibile non est Angelum vilo homine, velle grat. cognoscere statim quicquid de illo affirmari potest, etiam circa contingentia & supernaturalia: sicut & cognita propositione aliqua vniuersalissima, exempli gratia, Quodlibet est, vel non est, cognoscere infinita quae ex illa, vel sola, vel cum alijs infinitis coniuncta, per consequentiam deduci

Illi in rebus malit est, quia in angelis

36. Suar. Vasq. Raynaud. D. Thom.

37. Soluntur argum. contra sententiam

MARTIN  
NEUS  
D. VI



possunt. Secundo, licet tanta virtutis esset Angelus, posse tamen pro libertate uersos formare conceptus, inadæquate viendo sua vi, & eos inter se componere vel diuidere iustificando eadem esse, quæ sunt eadem: & coniuncta, ea quæ sunt coniuncta: diuisa verò vel disiuncta, quæ reipsa sunt talia.

Quæres? An etiam possint errare naturaliter Angeli? Respondeo Angelos naturaliter spectatos esse capaces falsitatis & erroris in cognoscendo, non tantum circa supernaturalia, sed etiam circa obiecta naturalia. Præter pars de supernaturalibus est D. Thom. quæst. 58. art. 5. in fine corp. De naturalibus verò idem ibidem negat. Sed est intelligendus de iis, quæ simplici intuitu videntur, aut quæ euidenter in seipsis, vel in aliis cognoscunt. Deque illis tantum ratio ab ipso allata concludit. Non autem de omnibus, etiam confuse cognitio coniecturaliter, aut in signo incerto vel obscuro: in quibus locum habet ratio, propter quam D. Thom. fatetur ibidem Angelos naturaliter spectatos posse decipi in cognitione supernaturalium. Quia scilicet, inquit, quidditas rei non potest illis esse principium cognoscendi ea, quæ pendent à supernaturali dispositione. Vnde superest, ut circa diuinam reuelationem non possint nisi coniecturaliter cognoscere, aut ex aliquibus signis, quibus decipi possunt. Atqui similiter non habent, unde certo præciant futura contingentia, neque unde diuinent infallibiliter secreta cordium non prodita ab eo cuius in mente latent: si sunt illis per se occulta, ut fert communior sententia. Non norunt etiam quicquid est possibile omnipotentia diuina absolute, & omnia eius obiecta, siue naturalia, siue supernaturalia. Vnde possunt errare existimando aliqua esse possibile, quæ non sunt: vel è contrario aliqua esse impossibilia, quæ non implicant contradictionem.

Rectè autem ibidem notat S. Thom. bonos Angelos nunquam errare in eiusmodi coniecturis: quia prudenter se gerunt, & vel omnino non iudicant de rebus obscuris & incertis, vel tantum iudicant modaliter, probabiliter esse, aut verisimile, &c. In quo non est deceptio. At verò mali Angeli malitia sua vel meritate non raro in errorem se præcipitant, æquè ac in turpissimos actus voluntatis. Ideoque D. August. lib. 9. de ciu. cap. 22. ait, malos Angelos sæpè falli: bonos nunquam. Est & alia ratio, cur boni non fallantur. Nimirum quia deceptio & error intellectus repugnant statui beatitudinis, æquè ac peruersitas voluntatis. Neque obicias contentionem inter Angelum custodem Persarum, & Angelum custodem Iudæorum, Daniel. 10. Nam inter eos non fuit contrarietas iudiciorum, sed diuersitas affectuum: cum vnus cuperet liberationem populi Iudaici gratiam ip-

sius. Alter cuperet diuini aliquandiu illum in Perfide morari, propter bona spiritalia, quæ ex Iudæorum conuersatione in Perfis redundabant, vel sperari poterant. Vtroque suum desiderium subiciente diuina voluntati, nihilque inordinate appetere.

Idem Augustin. lib. 11. de ciu. cap. 7. & 29. cognitionem Angelorum distinguit in matutinam & vespertinam, & per hæc distinctionem conatur explicare sex dies creationis mundi, quam explicationem suo loco retecimus. Duplicem autem illam cognitionem variè variè exponunt, ut videtur est apud Suarez lib. 1. de opere sex dierum, cap. 11.

D. Thom. quæst. 58. art. 6. in corp. per cognitionem matutinam intelligit cognitionem creaturarum in Deo, siue in Verbo. Per vespertinam autem, cognitionem eandem in seipsis. Quam expositionem tanquam ipsiusmet Augustini secuti sumus alibi, & cæteris omnibus præfert Suarez supra, probatque multis hæc esse veram mentem D. Augustini. Sicut autem in dicto consueto manè est principium diei, vel perè autem, terminus: ita cognitio ipsius primordialis esse rerum, dicitur cognitio matutina: & hæc est secundum quod res sunt in Verbo. Cognitio autem ipsius rei creatæ, secundum quod in propria natura consistit, dicitur cognitio vespertina. Nam esse rerum sciri à Verbo, sicut à quodam primordiali principio. Et hic effluxus terminatur ad esse rerum, quod in propria natura habent, inquit D. Thom. art. cit.

Alij per cognitionem matutinam intelligunt cognitionem ipsius Dei, qui est principium & veluti manè creaturarum, & per vespertinam autem, cognitionem ipsarum creaturarum secundum proprias earum rationes: & vtranque duplicem faciunt. Nam, inquit, cognitio Dei est clara, quidditatiua, & beatificans, alia confusa, imperfecta, & analogica. Item cognitio creaturarum alia est in Verbo, in quo representantur: alia in seipsis. Sicque conciliari dicunt varia loca D. Augustini, quibus videtur modò concedere, modò negare Angelos malos cognitionem matutinam habuisse, quos quidem certum est non habuisse beatificam, sed tantum naturalem. Cui expositioni fauet D. Thom. q. 62. art. 1. ad 3. Sed illi obest quod D. Augustin. vbique affirmat cognitionem vespertinam esse decoloratiorem, siue obscuriorem matutinam. Cognitio autem quam de Deo, vel de creaturis in Deo habuerunt naturaliter Angeli, non est clarior cognitione quam habuerunt de creaturis ipsis secundum se cognitio in seipsis.

Alij tertiò, ut S. Bonauent. in 2. dist. 4. art. 3. quæst. 1. distinguunt aliter duplicem cognitionem matutinam creaturarum. Vnam in verbo per visionem beatam, propriam Beati. Aliam per species & illuminationes

Angeli naturaliter possunt errare.

D. Thom.

39.

Vide supra disp. 33. num. 17.

Cognitio matutina & vespertina Angelorum.

D. Thom.

Bonauent.



procedentes à Verbo, quam omnes etiam non beati, in sua creatione habuerint. Iuxta illud quod ait Augustin. passim in lib. 4. de Genesi ad litteram à cap. 20. usque ad finem libri, Deum in mentibus Angelicis intelligibili modo fecisse omnia, quae in propria existentia creauit.

Alij demum, vt Aegid. Rom. in 2. dist. 13. q. 1. art. 3. dub. 3. literali, præter cognitionem matutinam & vespertinam addunt meridianam: distinguentes vespertinam, manè, & diem. Et vespertinam quidem aiunt esse in absoluta cognitione creaturæ secundum se, & in proprio genere. Manè autem fieri, quando ex cognitione creatura in proprio genere, Angelus in laudem & dilectionem Dei creatoris ascendit. Meridiam verò, quando in Verbo per vultum beatam Angelus plenius & perfectius creaturam inuenit. Tunc enim dies ante sechoatus perficitur. Cui interpretationi locum dat Augustin. ipse lib. 4. in Genes. cap. 22. & lib. 11. de ciuit. cap. 7. Eidemque fauet S. Thom. q. 58. art. 6. ad 2. Sed in re neque difficili, neque magni momenti, non est diutius immorandum.

Et hætenus de intellectu & cognitione Angelorum. Nam de habitibus acquisitis, siue intellectus, siue voluntatis, siue potentia Angelicæ, nihil est speciale præter ea, quæ de habitibus in Communis traduntur à Philosophis. Tantùm aduerto contra Vasq. disp. 289. cap. 2. Angelos esse

capaces habituum in iis, in quibus non habent summam facilitatem operandi, quantum naturaliter habere possunt. Est enim aliqua perfectio hanc facilitatem sibi comparare, Angelo non neganda, cum nobis infir. Neque propterea crescent hi habitus in infinitum per actus tota æternitate repetendos. Desinit enim augmentum, vbi summa facilitas parca est: quemadmodum ab initio defuisset capacitas habituum, si facilitas ab initio summa fuisset. Dixi, in quibus non habent summam facilitatem, &c. Non autem in quibus patitur difficultatem operandi. Quæ non assentio iis, qui putant nullam potentiam esse capacem habitus, nisi circa ea, in quibus patitur difficultatem positivam. Cum experientia constet homines naturæ pronos ad gulam, vel ad iracundiam, exercitio fieri proniores licet ab initio difficultatem nullam, sed è contrario facilitatem non leuem & magnam propensionem habeant. Adde Angelos non carere vsquequaque difficultate in intelligendo & volendo: si ita esset, censendi sint omnino incapaces habituum, quibus difficultates emoliant, aut tollant. Neque enim omnia cognoscunt primo & simplici intuitu, ac sine villo labore, vt ostendimus sect. 2. & 3. Possunt etiam naturaliter spectati habere difficultatem in exercendis aliquibus virtutum actibus heroicis, & in resistendo tentationibus, atque illecebris ad malum sollicitantibus.

## DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

### De voluntate Angelorum.

Sectio I. *Ut se habeat voluntas Angeli circa actus suos, & obiecta: præcipue circa Deum, seipsum, & alios Angelos?*

Sectio II. *Verum Angeli voluntas primo instanti, sua creationis fuerit libera, etiam ad peccandum?*

Sectio III. *Verum voluntas Angeli inuariabiliter adhaereat ei quod semel elegit?*

Sectio IV. *Saluantur argumenta contraria sententia.*